© Gesellschaft für Salzburger Landeskunde, Salzburg, Austria; download unter www.zobodat.at

V.

Bulla Innocentii PP. III. super inquisitione in vitam et miracula Virgilii Episcopi, Sanctorum catalogo adscribendi.

1200.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus . . Patauiensi et . . Frisingensi Episcopis. et dilectis filiis . . de Reitenhaslach et . . de Victoria Abbatibus. Salutem et apostolicam benedictionem. Habet hoc proprium apostolica sedes. ut ad inquirendam plenissime ueritatem ne fucato decipiatur errore. cum multa grauitate procedat. quatinus quod ipsius fuerit deliberatione statutum. ratum et stabile perseueret. Cum ergo Salzeburgensis ecclesia nobis humiliter supplicarit. ut sancte recordationis Virgilium quondam episcopum suum quem piis operibus floruisse fatetur in uita certisque post mortem miraculis claruisse. sanctorum ascriberemus cathalogo uenerandum. nos in tanto iudicio diligentiam cupientes omnimodam adhibere. discretioni uestre de qua plene confidimus per apostolica scripta precipiendo mandamus. quatinus auctoritate nostra suffulti. triduanum ieiunium per Salzeburgensem diocesim sollempniter indicatis. ut uniuersi fideles orantes. et erogantes ab eo qui est uia ueritas et uita postulent et implorent aperiri uiam inueniendi super hoc ueritatem ad uitam. ac deinde non solum per testimonia sed per testes. per famam quoque uulgatam et scripturam autenticam de uirtute morum et uirtute signorum. operibus uidelicet et miraculis certitudinem inquiratis. cunctaque fideliter conscribentes. sub testimonio sigillorum uestrorum per uiros idoneos qui fidem etiam super hiis nobis faciant. in presentia nostra iurati. ad sedem apostolicam destinetis. ut per inquisitionem uestram sufficienter instructi ad diuini nominis gloriam et catholice fidei firmamentum. securius in ipso negotio procedere ualeamus. Quod si omnes hiis exequendis nequiueritis interesse. tres uestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani Kalendis Octobris Pontificatus nostri Anno Tertio.

(Sigillum plumbeum Innocentii PP. III.)

D. —

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Mitt(h)eilungen der Gesellschaft für Salzburger Landeskunde

Jahr/Year: 1867

Band/Volume: 7

Autor(en)/Author(s): Anonymus

Artikel/Article: Bulla Innocentii PP. III. super inquisitione in vitam et miracula Virgilii Episcopi, Sanctorum catalogo adscribendi. 1200. 368